TECHE UDINE

MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. **J_MSS_0523**

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi
https://www.techeudine.it/fondo-joppi
https://www.sbhu.it/

523
1664

Strigonius Jo: Bapta

De muniendo
Urbe Utinensi
Commentarius.

DE MVNIENDA VRBE VTINENSI.

IOANNIS BAPTISTAE ARIGONII CANCELL. COMMENTARIVS.

Libet hoc loco, ut gratiam ab ijs ineam, qui publica hæc mo:
numenta aliquando legent, literis mandare, et in unum
ea omnia conferre, quæ de munienda vrbe statuta, de:
creta, et acta sunt extremo superiore anno, et hoc ineun:
te, qui est a uirginis partu sexagesimus septimus supra
millesimum quingentesimum. qua quidem in re praestanda
in primis: illud, in primis studiose ~~quaesitum~~ contendi, ~~ut~~ cum, ut certum ueritatis testimonium
scripta, haec continerent nostra; tum ut in infinita posteritate
(si modo illa tandiu extabunt) ij, qui in his oris nati
coelum hoc haurient, singularem Venetæ Reip: post
homines natos clarissimæ prouidentiam, & mirifica

erga nos charitatem, ac beneuolentiam et uideant omnes, et admirentur. Quod si qui erunt, qui illustriorem præterea, pigmentorumque flore, ac colore distinctam narrationem desiderent, ij sic cogitare debebunt, me ut in altero illo, ut certa orationi nostræ fides habeatur, præstare facile potuisse; quod internuntius Venetijs publicum rem totam pernouerim, et tantum non eius tractationi interfuerim; sic in altero, ut splendoris multum habeat oratio nostra, nec elaborasse me admodum; nec si elaborarim, satis commode assequi potuisse; quod a politiorum studiorum ratione ad agendi solertiam planè adolescens dilapsus, faciendæ, atque ornandæ orationi uacui, ac liberi temporis minimum tribuerim. Initium autem narrationis huiusmodi faciamus.

Munita

Munita iam magna ex parte nouis moenibus, propugnaculis, et fossis Bergomo urbe in Gallia cisalpina, cum Patres, qui Venetam Rempublicam administrant, eius Imperium uiderent, quà Foroiuliensis regio Bergomensi agro quasi ex altera parte respondet, quod nullis communitum, aut septum præsidijs sit, quibuscunque hostilis impetus incursionibus peruium patere; remque publicam ea in re perinde se habere, atque eos, qui tergum quidem diligenter armarint suum; pectus uero nobilißimam corporis partem neglexerint; in eam præcipue curam incumbere coeperunt, ut eo quoque ab latere, quod quidem proram Imperij, quemadmodum alterum illud puppim appellant, suæ res, cumque his pariter totius Italiæ certa aliquando ratione stabilirentur, atque in

tuto ~~sisterentur~~ collocarentur. Meminerant nimirum ij non solū quot paulo uetustiore ætate influentes Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, cœterarumque Barbararū nationum copiæ per Forojulienses portas uniuersam penè Italiam quasi inundarint: uerumēt quot superiori ætate à Turcis, quot à Germanis postremo, tum cum reipublicæ fortuna uehementer reflauit, insignes acceptæ sint clades, secum recolebant. obuersabantur etiam ante oculos, quæ bella ut plurimum sequuntur fugæ, errores, exilia, obsidio, direptio, uastitas, uis; ferrum item, atque ignis; luctus præterea, ærumna, solitudo, atque orbitas; cœteraq; discrimina, et duræ conditiones, quibus ij præsertim populi, qui tectas inualido mu-

nimine

nimine urbes incolunt, affici, affligiq; solent. Sed is-
tam deinde curam, ac solicitudinem valde apud Patres
acuit cum Aloysij Mocenici ædis Marciæ Procurato-
ris, qui summa cum authoritate legatus omnem con-
tinentis oram lustrarat, vehemens ad id curandum
cohortatio: tum de Sigetho in Pannoniæ finibus mu-
nitissimo oppido ab Imperatore Turcarum expugnato,
& capto nuntius acceptus. Erant tunc in Princi-
pis collegio Sexviri, qui Rempublicam in Senatu
regebant, Matthæus Dandulus, Hieronymus Gri-
manus Marcij Procuratores, Hieronymus Zanes,
Nicolaus Pontes, Marinus Caballus, & Hieronymus
Superantius Equites: erant itidem Quinqueviri, qui
res continentis bellicas, ærariumq;, & vectigalia

procurabant Andreas Badnarius, Augustinus Barbadicus, Marcus Fosculus, Hieronymus Mauroceenus, & Franciscus Bernardius. ijs cunctis referentibus ineunte mense octobre senatusconsultum factum est, ut publicis l(itte)ris continuo euocarentur Venetæ Militiæ principes Viri Sfortia Pallauicinus omnium Reip(ublic)æ copiar(um) Præfectus, Astur Balionus Equitum omnium leuis armaturę Dux, Hieronymus Martinengius turmæ equitum Cataphractor(um), & peditum omnium pro ordinibus ductor; ac Julius Sauorgnanus itidem equitum Ductor; ut cor(um) consilio, & reimilitaris scientia tanti ponderis negotium conficeretur. Perscriptis, datisque ex senatusconsulto literis Præfectus, Ducesque die præstituta adfuerunt.

Post eorum aduentum res confestim in Collegio Patrú tractari coepta est; et deinde ad tantæ rei, ut par erat, cogitationem dierum aliquot mora interposita: intra quos Sfortia Præfectus, et Astur mutatis ad celeritatem equis ad inuisendos Forijulij fines ad: properarunt. Id ut coeteri quoque Duces haud fa: cerent, illud in causa fuit, quod Martinengius cum Mocenico Legato non ita multo antea ex ea prouincia redierat: Sauormianus uero ex Vtini Principibus natus uitæ limen inierat, alitusque, et uersatus in ea regione perdiu fuerat. Hæc dum agebantur, grauis interea rumor apud Vtinenses spargi coeptus est, satis ille quidem constans, licet adhuc sine auctore, statuisse Rempublicam

arcem Vtini tantum communiri: magnam aedibus flatuum impendere ruinam: non aedificia: non curiae: non palatia: non Deorum immortalium templa tuta satis iam fore; Vrbi denium universae exitium atque excisionem imminere. Quibus commoti Septemviri Vtinenses, qui summus est ex publicis Vrbis magistratibus, me quamprimum Venetias, ut quae agerentur, decernerenturve, diligentir pernoscerem; eosque [illegible] certiores facerem, contendere iusserunt. Baionus interim, hostque cum Palavicinus accelerato itinere Venetias redierunt. Ab eorum reditu agi rursum res coepta; et quod non idem omnibus sensus inerat, plures dies in collegio Patrum mutuis inter Duces contentionibus agitata est. Eorum sententiae fluctu-

antibus

antibus omnibus, à quibus inter disceptandum quidam desciuerant, huiusmodi fuerunt. Sfortia præfectus ut in decliui ad meridiem monte, quem uulgo diui Heliæ uocant (abest is à Montefalcono ad tria passuum millia, ab Vtino ad uiginti) castellum inprimis excitaretur septem turribus ad præsentem rei militaris usum communitum, ac deinde in extremis Vicorum Vtini partibus Patrum arbitratu munitissima Arx erigenda è republica esse censebat. Balionus, & Martinengius Vtinensem urbem, qua nunc iusta stat magnitudine muniendam consulebant. Sauorgnianus uero Strasoldum muris, propugnaculisque uallandum summouere suadebat. Atqui diui Heliæ mons, ut muris, et munimentis instrueretur.

ob id ex usu, et commodo Reipublicæ esse dicebatur: quòd ad extremos eius fines positus; quòd mare, et Sontium fluuium in mare labentem proximu͂ haberet: quòd intercipiendis commeatibus, præsidioque hostibus nudandis idoneus ualde foret, tueriq; pariter, & lædere facilè posset. Strasoldum ut præmuniretur, expedire senatui ea de causa disceptabatur, quòd natura, situq; inexhaustis paludibus circunseptu͂, haud longe à mari, fluuioque in id influente abesset: quòd Aquileiæ proximum, quæ incumbentibus olim Barbaris imposita fuit: quòd alienæ demum ditionis agro immineret. ~~Sed~~ At utrum Vtinum mirificis molibus, munitioneq; ut exædificaretur, iis præcipue rationibus contendebatur, quòd in læta planitie situm

montim

montem haberet in intima sui parte, eique arcem ad loci munitionem egregie superstructam: quòd nullus editior ei locus, unde tormentis quati posset, impenderet: quòd alere foris exercitu obsidentes nequirent: quòd princeps in Prouincia vrbs, et in umbilico regionis posita fidelissimorum ciuium, atque optimorum numero instructissima esset: quòd ampla in ea arearum, platearumque spatia protendi possent: quòd longe parum à finibus abesset, ac detritis vijs omnibus, per quas aditus Barbaris in Italiam est, insideret: quòdque demum post se, quà propiora Venetæ vrbi loca respicit, alieni, hostilisque agri nihil haberet.

Hæc cum dicerentur, in tanta uarietate Patres in id demum consilium, uti urbs Vtinensis muniretur,

inclinare uidebantur. quam quidem ad rem eo pro:
pensiores erant, quòd bini olim ex Metaurensium
Principibus, quorum alter non ita multo ante hoc
tempus præfecturam omnium ~~Reipublicæ~~ reipublicæ copiarum
gesserat: alter uerò multis ab hinc annis ~~reipublicæ~~ eiusdem
militum Imperator excellenti laude, et gestarum
rerum gloria floruerat, ut munitior omnino ea
vrbs fieret, auctores ualde reipublicæ fuerant.
Accesserat ad hæc N. Clusonij tormentariorum mi:
litum præfecti præstantis militari virtute viri opi:
nio, quam superiori anno Patauij moriens testa:
tam reliquerat, quo ego tempore Prætorius scriba
(Cancellarium uocant) Patauini Prætoris, Præfec:
tique virorum clarissimorum iussu literas ea de re ad

Principem dedi. Verum enimuero suspensos, atque solicitos eorum animos reddebat, quod subpostea à quibusdam dici coeptum est, Rempublicam inanem laborem capturam: frustraque thesauros insumpturam, quòd ad urbem muris, turribusque cingendam defutura planè essent omnia; uel ea quidem certè incredibili pretio coëmenda: carere quippe eam ad millia passuum multa non solum saxea, et lignea materie, sed tenaci quoque creta, et sabulo; efficique nisi maximo cum impendio haud quaquam posse, operi ut suppetant calcariæ, & lateritiæ fornaces, cœteraque ad tantum conficiendum opus necessaria, et opportuna: solum ad urbem positum non cohærescere: glarea tantum,

et calculis obtegi; quod nec adeo firmum, et soli-
dum sit, quin superstructæ molitiones uitium factu-
ræ facile sint: cuniculorum id fossionibus con-
ficiendis quasi natum, aptumque esse: putealem
aquam deficere: perenne flumen, quod urbem
præterlabatur, nullum esse; et ut in pauca con-
feram, eam præterquàm coelo, quod cum alijs
commune habet, carere planè omnibus igne,
aqua, terra. Præter hæc illud quoque incom-
modum adijci dicebatur, urbem facile intercludi
posse, quo minus ad eam cómeatus, et præsidia
deduci possint, quód à mari, portubus, fluuiisque
longe absit. Ad hæc eleuanda incommoda cum

remedium

remedium adhiberi posse aliquatenus uideretur, si priusquam munimenti opus respublica aggrederetur, lato aluo amnis ex Tiliauento deriuaretur, cuius deducendi quadraginta ab hinc annis initũ consilium fuerat, nouae indies commiscebantur quidã rationes, quibus id quoq; arduũ, multisq; difficultatibus obrutum dicebatur: inter quas praecipua haec erat, quod is fluuius rapidus, et uorticosus foret. Haec dum Venetijs aguntur, Vtini interim ciues timor incessere coepit, ne si materiae, et coementorum apud eos inopiam esse Patres uererentur, res eo urgeret, uti castellũ tantum, siue arx ~~erigeretur~~ conderetur; communisque, ac priuata res detrimentum, et iacturam ea

Rursus

de re faceret. Quare habitum a Septemviris Ciuitatis concilium fuit; eoq; decernente orato: res delecti, qui cum mandatis publicis e vestigio Venetias se conferrent Bernardinus Amadriseus, ac Petrus Percotus Iurisconsulti, et Jacobus Brambilla e populari ordine vir. Eodem fere tempore Patres permultis, quae in medium afferebantur, difficultatibus permoti, ea de re literas ad Magistratum Vtinensem in hanc sen: tentiam dari decreuerunt; ut quoniam urbis communitioni faciendae pleraque omnia defutura asserebantur, curaret is adhibitis peritis, soler: tibusque hominibus, ut senatus quamdiligentiss. certior fieret; num ea calcis, laterum, cretae,

argillae

argillæ, lapidum, lignorum, cæterorumque difficultas foret, ut quominus opus aggrederetur, deterreri impendio Respublica deberet. Ad fossas quoque Urbis, ut fodi faceret ad soli ingenium exquirendum mandarunt. Erat tunc Utini Magistratus Franciscus Duodus spectata planè virtute, & diligentia vir, qui cum ad exactam rerum omnium notionem habendam nihil prætermisisset, Patribus demum rescripsit, ad urbem probè magnam esse cementitiorum, cæterorumque lapidum copiam, tum eorum, qui compagi murorum adhibentur, tum aliorum, qui ad materiem calcariam excoquuntur; nec opus profecto fore, ut ad saxa montibus auellenda ullo reipublicæ sumptu certi homines mittantur: Terram munitioni faciendæ, sufi:

nendæq; ineptam haud esse: cretæ, argillæq; fo:
dinis ad coctiles lateres, aggeresq; ducendos abun:
dare: lignationis apparationem aliquantulum qui:
dem negocij facturam, quod cedendæ arboris uis
longe ab urbe absit, sed fieri nihilominus haud
ualde magno impendio posse, ut superans etiam
materies Turro, Natisone, ac Tiliauento fluuijs
conuehatur. Recitatis in Principis collegio
Duodi literis cum ab re abesse Patres intelligerent
quæ opus interpellarent impedimenta, cuncti fere
in eam sententiam iuerunt, ut nouis propugnaculis
et moenibus Vtinum munitissimum fieret. Non
omittam hoc loco illud dicere Venetam Rempub:
qua nihil hac tempestate admirabilius orbis terrarum

habet

habet, in eo præcipue munere, quod omnium præs:
tantissimum est, unam excellere plurimum: facul:
tatem illam intelligo cæterarum omnium facile prin:
cipem, quæ ciuitatu procurationem sibi uindicat,
et regendi Imperij muneri præposita est, quam
ciuilem rationem, e prudentiam appellant, belli:
carum, atque urbanarum rerum scientia, et tracta:
tione contentam. Hac etenim facultate duce,
& magistra prudentissime ij censuerunt, modes:
tissimæ reipublicæ, quæque intra fines se continens
suos iusti Imperij laude semper cæteros Principes
anteißet, rationibus haud conducere; ut alienæ
ditioni propiora loca; quæue post se alieni mu:
nitum agri quicquam haberent, ad id deligeren:

tur. Hac quoque duce, et administra sapientissime ij nouerunt loca inprimis celebria ædificijs, moenibus ampliora, et tutiora facienda esse, cum stabiliendi imperij causa, tum proximis è uicis hominum confugientium tuendi, & retinendi gratia; eamque ob rem oportere inprimis quasi corporis cuiusdam ualidi formam institui, quod deinde, ut status, et reipublicæ rationes ferant, uallorum, et propugnaculorum quasi brachijs instrui, et firmari ualeat. Accessit ad has illa quoque cogitatio ex usu bellorum informata, arces, castella, uallosq; quantumuis munitissimos nouis disciplinæ militaris

litaris artibus, summaq; Ducum ui nullo ferè negocio hac tempestate expugnari, capi, dirui: amplas uerò urbes (eo modo si munitiores sint) quampaucissimas id periculum post hominum memoriam subijsse. His ita dispositis, ac cogitatis uniuerso Patrum collegio placuit, ut Praefectus, Ducesque scriptis singillatim sn̄ias de re tota consignarent suas, uti res integra referri, exquirique senatus uoluntas explicatè posset: quod quidem ab eis diligentir, accuratiq; factum fuit. Ad XIIJ. Cal. Decembris res in senatu proponi coepta est; quo quidem die, partim etiam postridie recitatae fuerunt militarium Praefectorū opiniones:

Vrbini praeterea Principum, quos supra memora-
uimus, Jordanis Vrsinij olim reipublicae pedestrium
copiarum praefecti, et Clusonij sententiae. His recita-
tis Sexuiri praeconsultores praeter unum Marinum
Caballum, et Quinqueuiri pariter, praeter Hieronymum
Mauroceni, et Franciscum Bernardum rogationē
in hanc sententiam tulerunt, ut quandoquidem
peroppoortunum aliquem locum in Foro Julio ad pntim
militaris artificij rationem communiendum e
Republica esse censebant, senatusconsulto deligeret
Vrbs Vtinensis, in qua eo minori Ciuium, et populi
quo poterit damno, ac Reipublicae impendio nouū
et quoad eius fieri posset, amplum muniminis
genus institueretur, reseruata deinde senatui

facultate

facultate consultius decernendi, qua fossæ, muri, turres, cæteraque munimenti genera forma, atque amplitudine duci, et extrui deberent. Caballus contra, Maurocenus, et Bernardius coniunctis sententijs tulerunt, ut quoniam sine maximo ac incredibili reipublicæ sumptu, longoque multorum annorum interuallo id perfici haud poterat, tantæ rei tractatio, et consilium in aliud commodius tempus reijceretur. Res utrinque crebris concionibus quater uocato senatu acriter agitata, et demum nono Cal. Decembris prior rogatio recepta est. Postridie eius diei Principis iussu Sfortiæ præfecto, ut ad nonas Decembres rursum Venetias se conferret, publicæ litteræ perscriptæ

sunt. Discesserat aūt is, ducesque Patrum permissu paucis ante diebus. scriptum itidem fuit Magistratibus Patauij, Veronæ, ac Vtini, ut Balione, Martinengio, et Sauorniano idem mandarent. Adfuere ij ad diem dictam; tuncque consuli diligenter coeptum est, quæ præcipua extruendæ nouis molibus urbis ratio, quæue quasi forma adhibenda esset. Verum interim pergraues in curia rumores antea sparsi in hanc ferè sententiam audiri coepti sunt, rempublicam haud idoneo tempore opus aggredi penè infinitum, incommodis,,certis,, plurimis, et difficultatibus affectum, quodque immane auri pondus requirat: quater decies centena nummûm millia, et eo amplius in id

operib

operis rempublicam insumpturam; quodque ex eius dignitate minime erit omittendum iam coeptum, quod materiæ, coementorum, rerumque omnium mira ad urbem indigentia sit. Quam ob rem ad XVI. Cal. Januarij rursum senatu coacto decretum fuit, ut nequid resp: detrimenti faceret, maiestasue eius imminueretur, si post inchoatum opus quod fortasse duriora, et difficiliora, quæ asserebantur fierent, illud intermittere cogeretur, tres ex senatoribus legarentur, qui cum præfectis, ducibusque, et architectis se in rem præsentem conferrent, accuratè omnia pernoscerent ac deinde ad senatum renuntiarent. Lecti autem ad id munus suffragijs fuerunt Thomas Contarenus Marchio Michaëles, et Aloysius Mocenicus Marcij Procuratores:

qui deinde ad VI Cal. Ianuarij difficillimo anni tempore impeditissimis ob imbres vijs venetijs soluentes ad quartum nonas eiusdem mensis Utinum applicuerunt. Excepti ij perhonorifice à Præside, et septemviris fuere, qui universa fere ciuitate comitante ipsis aduentantibus ad tertium ab urbe lapidem obuiam iuerant; deductique ad diuersorium sunt, quod eis publicè peropportunum paratum fuerat ad coenobium societatis seruorum: quo in loco Septemuiris fere quotidie officij causa eos adeuntibus, atque omnibus honorum generibus liberaliter honestantibus usque ad discessus diem libentissimè sunt commorati. Venerunt cum illis unà

Frater

præter unum Sfortiam Præfectum aduersa, ut dice=
batur) ualetudine laborantem. bellici duces quos
supra memoraui omnes, et præterea Moretus quoque
Calaber, et Meliorinus, hic Brixianorum, ille
Forojuliensium pro ordinibus militum Tribunus,
mensoresque, et architecti complures. Postri=
die, et insequentibus diebus Balionus, &
Martinengius additis Legatorum iussu fos=
sioni operis diligentissime exquirere cœperunt,
quale solum, tellusue undequaque ad Vrbem
foret infinitis prope ad labra, alueum, &
ima fossæ, quæ moenia urbis cingit, fossioni=
bus factis. Hæc princeps belli ducum cura
fuit: Huic proxima, ut homines in metandis

urbibus muniendis murorumque ambitu designando solertes, moenium circuitus dimensionem ichnographiamque urbis fieri curarent. Legati interim muros circumire, turres, fossas perviderе; perennes iugis aquae ductus metiri, prata, agros, amnes urbi proximos invisere: fabros, lignatores, puteanos, quique flumina arcere, dirigere, advertere sciunt: coctilium laterculorum, calcisque excoctores. lapidum fossores, aliosque artifices, ac navos, industriosque homines ex domibus et officinis accersere: quae cuiusque rei pretia, quae conditiones sint; quive cementorum, lignorumque parandorum redemptores esse cupiant, indagare: operarum, plaustrorum, iumentorum

numerum quærere, nullam cessationem facere: nihil denique intentatum, aut inexploratu[m] prætirire. Hæc dum præsenti animo à Legatis, Bellicis præfectis, et Architectis geruntur, tota interea Ciuitas occupata esse: omne officium, studium, diligentiā præstare, deferreque, ut quo quidque in loco materiæ, et coementor[um] reperiretur, quæ item curruum et operarum: quæ lignor[um] ad fornaces conficiendas. quæ lapicidinarum ad saxorum vim eximendam, et comparandam: quæ arenæ foßitiæ, et fluuiatilis copia esset: quiue demum certi, assuetique homines forent ad illa conuehenda, propioraque urbi exhibenda, Legatis innotesceret. Quodque bonum, faustum, fortunatumque ciuitati uniuersæ

ſit, compertum est demum, non tantum ad aggeres, uallosq; extruendos, lateres ducendos, calcis, arenæ, saxorumque omnis generis facultatem, et copiam præbendam terræ solum appositissimum eſſe: sed, quod mirum etiam indigenis accidit, expectationemq; hominum superauit! facta circunquaq; ad urbem pedum quinûm defossione repertum est, saxeam intus crepidinem tricenûm, e' amplius in profunditatem pedum continenter subesse; urbemq; totam tanta in planitie positam quasi saxei montis substructuram habere. quod quidem eo gratius accidit, quod non amplius opus futurum sit, ut ad hostium cuniculos excipiendos transuersi cuni= culi

culi fiant, cum his artibus, eaque ui urbs oppugnari omnino nequeat. Qua ex re etiam fit, ut propugnaculorum, et moenium fundamenta minus profunda iaci sine ullo incommodo possint. Quod autem ad aquae vim attinet praeter illabentis superiori ex parte Turri alueum, perennemque ligneos per tubulos fontem influentem, inspexerunt Legati quinos intra vrbem profundioris haustus, et mirae antiquitatis puteos a Raymundo olim Aquileiensi Patriarcha instauratos, qui singuli ad quadrigentum, et amplius pedum altitudinem demersi sunt: et praeterea puteos, ac cisternas publicis, et priuatis in locis, ex quibus electo purior aqua eruitur, ad sexaginta.

De ligneæ materie cum diligentir itidem quæsißet, in Tercinti, Nemesque, et Riuidiscæ montibus densissimas syluas ingentium, procerarumque arborum, quæ ad quamuis maximam munitioné faciendam materiem suppeditare abunde possint, in ~~auras luminis~~ coelum tolli peruestigarunt. Carroꝝ quoque, iumentorum, atque operaꝝ, quas ut acerbe nec postulent, nec exigant, defuturæ tamé haudquaquam sint, uim permultam esse deprehenderunt. Quod uero ad uectium, ligonum, et reliqui ad terram fodiendam instrumenti numerú pertinet, ingentem illum esse peruiderunt; nec quisq; ulterius expeti sané posse, nisi id quoque animale, ut statuas fabricaße Dædalus dicitur

& de

& de Vulcani tribodibus testatur Homerus, curio=
sius quis forte exigat. Ex his alijsque factum
est, ut Legati sole clarius perspexerint coelum
hoc, regionemquè à Cæsaribus olim cultam non adeo,
ut quidam asseruerant, imparatam ab ijs esse, quæ
ad bene, ac beate uiuendum requiri solent. Et uero,
siue coeli clementiam, siue aquarum salubritatem,
siue terræ bonitatem, seu cætera species, quæ large,
liberaliterquè natura ciuitatibus largiri solet
(ut omittam interim splendorem, et claritatem ciuium,
ingenia, et opes) eam indignam haud profecto esse
inuenias, quæ omni artificio, ac mole murorum,
et quibuscunque pacis, ac belli ornamentis instru=
atur. Post hæc Legati cum nec matrici, &
coementorum honesto impendio comportandorum redemp=

tores, nec ad communitionis opus aliud fieri quic=
quam necessarium deesse uideretur, murorumq;
ambitus descriptionibus accurate expressus foret,
postremam militarium ducum curam in moeniu
uallor, ac propugnaculor ducendor circuitu,
crassitudine, interuallis, substructionibus, &
fundamentor ad solidum depressione diligenter
perpendendis, muniminisque forma adamussim
lineis ductis describenda esse iusserunt. quod
quidem ab ijs nauiter curatum, confectumque
est, subductis etiam rationibus, quot respub.ca
auri pondo in id operis impensura esset, quod
librar auri quinquies millium summam con=
ficere compertum est. Quod uero ad bellicor

Praefectorum

Præfectorum, Tribunorumquè de munimenti forma sententias attinet, id unum exploratum nobis est, Balionum, et Martinengium in eo conuenisse, ut murorum ambitus ab integro nouus, nullaque ex parte redimiuus tribus, et decem peramplis munitus propugnaculis, ac turribus duceretur; latioresquè, ac profundiores fossæ fierent, et agger construeretur quosdam uerò ex Tribunis, et arcbitectis, uti ueteres muri instaurarentur, consuluisse. Idibus Januarij cum Legati discessum pararent, Cornelius Frangipanes, Hieronymus Maserus Jurisconsulti, Jacobus Valuasonius, Prosdocimus Sbroiauacca, Hieronymus Maninus, Nicolaus Honestius, et Joannes Saßius vrbis septemviri, quibus magistratum gerentibus supra memo=

rata

rata omnia gesta sunt, magno subsequente ciuiu numero Legatos ipsos, et militares Præfectos conuenerunt; & Cornelius Frangipanes Iurisconsultus, atque idem orator apprime eloquens publice ciuitatis nomine huiusmodi orationem habuit, quam ille Etrusce optime, nos latine ut potuimus.

„ Cum multis antea argumentis, et signis Ciuitas
„ nostra in uarijs suis temporibus se ab amplissima
„ uestra Republica diligi, carissimamque haberi
„ persensit, tum hoc tempore, Legati, Viri clarißimi
„ id ipsum re amplius, et ueritate declaratum plane
„ noscit, aperteque, et palam quasi oculis cernit.
„ Nam cum sapientissimus Senatus uester, qui-

" perpetua quadam prouidentia florentißimum Im:
" perium suum administrat, regioni nostræ, quæ
" undequaque patens, atque immunita est, poten:
" tißimorum Principum, Turcarumq; præsertim Im:
" peratoris, qui indies nobis propior fit, infensas
" uires impendere prospiceret, prudentissime is decre"
" uit, uti nouis moenibus, ac propugnaculis absque
" ulla ædificiorum, priuatarumq; ædium ruina urbs
" nostra communiretur, uti sub suo nos imperio ser:
" uaret, defenderet, ac tueretur. qua ex re nos
" sane pro eo, ac debuimus mirificam lætitiam ce:
" pimus. Atqui uoluit quoq; idem senatus præci:
" puis certisque oculorum sensibus, qui uos, legati,
" estis, qua id ratione commodissime, ac luculentis:

Sime

" sime fieri posset, deberetque, quàm diligentissime
" perspicere. Quam ob rem vos inpræsentia non soli
" tantum extremitatem ad aggeres, uallosque du=
" cendos appositam peruidistis; sed in ipsa telluris
" uiscera inuasistis, lapidum quasi uenas quasdam
" ad muros, et propugnacula excitanda eruistis,
" perennes scatentium lymphar fontes ad omnem
" opportunitatem reperistis; nemora demum ad ma=
" teriem abunde suppeditandam cum his omnibus
" rebus, quæ ad amplum muniminis genus institum"
" dum spectant, large, ac liberaliter suppetere
" nouistis. Et uero amplum id ut Legati, fiat,
" quammaximè conuenit, cum totius prouinciæ
" domicilium, ac diuersorium: amplius, cum

omnium

" omnium, quæ nostri in Italia iuris, atque impe=
" rij sunt; primus obex, et munimentum Barbaris
" oppositum: amplißimum, cum totius Italiæ fir:
" mißimum propugnaculum futurum sit, ijsdem
" planè rationibus, ac consilio paratum, quo à Ro:
" manis olim Aquileia erecta est, qui eam ob id
" amplissimam construxerunt, quòd hæc regio uia
" aperta, ac lata, & quasi porta patens sit, per
" quam barbaræ nationes in Italiam erumpunt,
" ac ueluti collecta eluuies quibusdam quasi statu:
" tis temporibus ad Illustriorem Europæ oram
" uastandam descendunt, quemadmodum de Gothis,
" Hunnis, Vandalis, Pannonibus, ac Germanis
" postremo memoriæ proditum est. quam ob rem

» deceret profecto, rectumque omnino esset, ut Itali
» Principes cuncti, quemadmodum fructus, et commo:
» di erunt, faciundi pariter in id sumptus consortes
» fierent: cum hęc tam eorum, quàm uestri Imperij
» quasi firmissima arx proculdubio sit futura.
» Sed utcunque cęteri Principes hac in re affectos
» se ostenderint, nos certe minime ueremur, quin
» ad communem omnium salutem tuendam opus
» tam necessarium à Magnificentissima, ac uigi:
» lantissima Republica uestra conficiatur; cum
» uel una legationis uestrę renuntiatio ipsummet
» certissimum senatus decretum futurum sit; quod
» uos et augustissimę ędis Marcię Procuratores,
» et sapientes in Concilijs uestris perpetui; ac ea

dignitate

" dignitate, et splendore senatores estis, ut uestra
" præcipuè sapientia, & consilio Respublica uestra
" nitatur, tutò imperet, ac conquiescat. Quo fit, ut
" nos in præsentia ex sententiæ uestræ præscripto Vr=
" bem hanc maximis, et munitißimis moenibus obual=
" latam inspiciendi, quemadmodum et senatus uester
" amplißimus censuit, et nostræ Reipublicæ uræ,
" totiusq; planè Italiæ rationes, ac tempora postulant,
" ad certißimam spem erigamur. Nos enimuero,
" Ciuitas, Nobilitas, Populus, boni omnes, recitaque,
" atque integra mente præditus quisque ob huius=
" modi immortale in nos collatum Beneficium
" amplitudini uestræ sempiternum in tempus
" deuincti erimus: et quod uos difficillimo
" tempore tot labores suscepistis, maximeque

" in nos propensam uoluntatem uestram osten-
" distis, nos uestræ laudis, et gloriæ studijs in-
" censi in uobis ornandis, uerendisque defati-
" gabimur profecto nunquam, nec satietate
" defessi unquam erimus; quinimmo vos, ues-
" traque nomina in animis nostris firmissime
" tanquam in marmore insculpta gerentes, cla-
" rissima posterorum memoria, maximeque sem-
" piterna collocabimus. Vobis illustres, magna-
" nimique Duces, qui exactissimo iudicio uestro
" Vrbem hanc propter communem omnium salutem
" communiendam Patribus auctores fuistis, quique
" solicitudinis, ac laborum à Legatis viris cla-
" rissimis obitorum participes fuistis, perpetuo

quoque

" quoq; debebimus, uestramque ad eorum memoriã
" adijciemus; Fortunæque numini supplices preces
" impense effundemus, ut uobis; virtutique uestræ
" dignam aliquando occasionem præbeat præclara
" ea cogitata in lucem proferendi, ac perficiendi,
" quæ in mente uestra iamdiu concepta ad Ve:
" netorũ Imperium, qui prudentissime id regũt,
" et moderantur, latius propagandum intendis-
" tis, ac direxistis. Vobis demum unà omnib.
" nos unà omnes de præclaris uestris cogitatio-
" nibus, consilijs, atque actionibus tot gratias
" agimus, quot animi nostri uix capere præ am:
" plitudine possunt. Ad hæc Contarenus
legatus breuiter respondit. Egregiam

" Civitatis erga Rempublicam uoluntatem, fi=
" demque tot testimonijs apertissime declaratã
" gratißimam sibi, collegisque suis contigisse.
" De ea se ad senatum, ac de Vrbe munienda
" relaturos; nec adeo uereri, quin et respu=
" blica commodi ciuium, quos æque, ac
" filios carissimos diligit, rationem sit ha=
" bitura, & Ciuitas cum opus fuerit officiũ
" omne, atque opem in re tanta alacriter
" sit præstitura. Ad diem xviij. Cal.
Februarij Legati cum senatus mandata omnia
exhausißent uniuersis fere Ciuibus fere eos
officij gratia ad tria passuum millia pro=
sequentibus ab vrbe discesserunt. Post

eos

.corum discessum hæc ferè sunt, quæ nobis hac
de re innotuere. Post renuntiatam in collegio
Patrum; Legationem; eiusdem in senatu renuntia-
tionem in mensem Februarium ob id dilatam,
quòd eo mense ineunte noui quadraginta viri
Criminum causis præfecti Senatum inituri erant.
Actum demum id esse pridie no. Februarij satis
frequenti senatu. sed nihil præterea decretu,
quòd alio animum intendere resp: coacta est.
Quamobrem no. martijs sancitum est, ut Julius
Sauorgnianus in Cyprum, Hierony. Martinen-
gius in Cretam cum pedestribus copijs transmit-
terent, Sfortia uero Præfectus Jaderam adna-
uigaret:

Ad hunc comentarium nostrum non ingratum credo lectori erit si tanquam corrollarium addam Principis nostri testimonium, quo is Iacobum Valuasonium, quem superius è Septemuiris unum memorauimus, publicis conscriptis literis ornauit. Eae autem ad Franciscum Duodum Praetorem Pridie no. nouembris superioris anni in hanc sententiam ~~scriptae~~ datae fuerant.

Iacobus Valuasonius Maniacus spectatissimae erga nos fidei uir commentarium nobis suum afferendum curauit, quo is ~~bellicum~~ regionem nostram Foriiulij, ad eam aditus: quaeue ad eius cum oppugnandae, tum propugnandae rationem pertinent, prudenter cuncta descripsit. Quare ei nostri nomine significabitis; ~~industriam~~ utilitas, munusque eiusmodi, quo is optime animum, et propensionem erga Rempublicam suam declarauit, nobis admodum gratum fuisse. Sed quoniam eo in libro magni momenti permulta continentur quae è re non foret, uti passim diuulgarentur, ad illud hoc quoque adijcietis. cupere nos, ut is in aliorum manus haudquaquam perueniat, neue cui facultas eum describendi detur ob eas rationes, quas is optime intelligere potest.

Questa Città di Vdine Signori eccellentißimi fin'hora per molti segni in uari tempi fatti uerso di lei, hà ben fermamente creduto d'esser amata, et hauuta cara da l'Illustrißimo Dominio, mà al presente per proua certa, e uiuo effetto lo conosce essa chiaramente, & lo uede aperto. imperoche lo sapientißimo senato, il quale con una prouidentia perpetua gouerna 'l suo imperio uedendo questa Patria aperta, e senza difesa, & considerando le forze de' Principi potentißimi, che le soprastanno, e specialmente del Sig.r Turco, che sempre più s'auicina hà deliberato di fabricare una fortezza grande, et reale senza rovina de casamenti, e priuati edifici intorno à Vdine per difenderne, per saluarne, et per mantenerne

sotto'l suo felice governo, di che noi sentimo alle=
grezza inestimabile. et per meglio questo ha
voluto esso senato vedere con gli occhi suoi proprij,
i quali sete voi signori Illustrissimi come essa si
possa fare, et come si debba. et voi con gli occhi
vostri diligentemente veduto havete non pur la
superficie del terreno per far i terrapieni, ma
havete voluto penetrare nelle viscere de la terra,
et ritrovato havete le minere de le pietre per
far i muri, e' belluardi, et la vena de l'acqua
inessicabile per ogni bisogno, et presa infor=
matione de' boschi. finalmente siete fatti chiari
che v'è materia abondevolmente per fabricare
la fortezza reale, e grande; et non per cento

fa bisogno, che sia grande, douendo esser ricetto
et conserua di tutta questa Prouincia, et mag
giore douendo esser la prima difesa di tutto lo
Stato che uoi hauete in Italia, et grandissima
douendo esser antimuraglia di Italia tutta, fatta
però con quel auiso et con quel iudicio, che fu
da i Romani edificata Aquilegia, i quali la
fecero grandissima. Percioche questo paese è il
Varco et la porta patente, per la quale entra=
ro i Barbari in Italia; et come di nido raccol=
to quasi à tempi determinati discendono à guastare
la più bella parte d'Europa, come si legge de i
Gotti, de gli Unni, de i Vandali, de gli Ungari
de i Turchi, et ultimamente de i Todeschi.

la onde dritto, et ragion sarebbe, che tutti i Prin
cipi Italiani sentissero de la spesa, hauendo à
sentire del commodo, douendo questa esser una
rocca à tutti gli Stati loro; ma non per tanto
ci meno, speriamo non si rimarrà di far la
fortezza per li magnanimi nostri Signori
à beneficio universale, massimamente che la
relatione di uostre Signorie Illustrissime sarà
la istessa accuratissima essendo voi et Procu
ratori di S. Marco dignissimi, et saui del
consiglio perpetui, et senatori tali, e si fatti
che sopra il tutto uostro sapere, et nel uostro
consiglio principalmente s'appoggia, e sta
sicura la uostra Serenissima Republica.

Il perche noi siamo quasi certi, et sicuri, che per lo uostro sauio parere noi hauerimo questa terra cinta di una fortezza reale et grande secondo la deliberatione del senato, et secondo il bisogno della Patria, del Dominio, et d'Italia, la quale ne terrà dal furore barbarico guardati & difesi. Noi la Città, la Nobiltà, il Popolo et ciascuno di sano giuditio, et di senno intero per cosi grande, et immortal beneficio saremo eternamente obligati a le uostre eccellentie, et per la fatica presa in questa stagione, et per la diligenza usata in questo bisogno, et per l'amore, et beneuolentia dimostrataue, ne mai stanchi ne sacii ci uedremo di lodarui, et

riuerirui, serbando nei cori nostri piu che in marmo impressi i uostri chiari nomi. i quali poi mandaremo ne i descendenti con honorata memoria in perpetuo. A Voi Illustri, et Valorosi capitani à voi. c'hauete con perfitto iudicio consigliata la fortificatione per nostra salueZZa. et che sete stati à parte de la fatica con questi Signori, appresso loro ci sentiremo obligati, et pregheremo la fortuna che ui presti occasione degna di mostrare il ualor uostro. et di mandar fuore in atto gli alti maschi pensieri che uoi hauete nella mente concetti. et drizzati per ambiace d'Imperio à i nostri Illustrissimi Signori. i quali

si bene, e sì prudentemente governare lo sanno
et finalmente à Voi tutti insieme noi tutti insieme
di così fatte operationi ui rendiamo tante grē.
quante ne gli animi nostri possono capere.

Hieronymus Priolus Dei gratia Dux Venetiarum etc.
Nobili, et sapienti Viro Francisco Duodo de suo man:
dato Locumtenenti Patriæ Forijulij Fideli dilecto sa:
lutem, et dilectionis affectum. Il Fidelissimo nostro
Giacomo Valuason di Maniaco ne hà fatto pntare
un suo Libro, nel quale prudentemente hà descritto la
Patria nostra del Friuli, li passi, le offese, et dife:
se di essa; però ui commettemo, che debbiate dirle
in nome nostro, che questa sua fatica n'è stata
molto grata, con la quale hà ben mostrato l'affettione,
et diuotione sua uerso la Signoria nostra. Et
perche in esso libro sono delle cose importanti, che
non sarebbe bene, che andassero attorno, le aggion:
gerete, che'l non permetti, che'l passi in mano
d'altri, ne che alcuno ne habbi copia per quelli

rispetti, che da lui possono ben esser considerati.

Dat. in nostro Du. Palatio die 4. Nouemb. Indictione Xma. M.D.LXVI.

Rte. die 7ma. Nouembris, et presentate per S. Adamum Cursorè Taruisij.

A' Tergo | Nobili & sapienti Viro Francisco Duodo Locti. Prie Fori Julij.